

includit alterum, sed se habent ut perfectiones disparatae, & in ultima aequalitate, & adinvicem realiter identificata ratione formalis infinitatis, quam a divina essentia, cui advenit, trahere intelliguntur, ut a radice, & origine omnis infinitatis; atque ideo distinctio formalis inter ipsa nullum infert praedictum divine simplicitatis.

107 Ad 3. negatur Scotista ex eo praecise arguere distinctionem formalem inter attributa, quod sint in Deo secundum proprias rationes formales importantes perfectionem simpliciter, sed etiam quia sunt ibi secundum suas formales rationes, ut una non includat aliam, nec omnes simul includantur in essentia, quod de perfectionibus primariis ut sunt praedicata Dei quidditativa, minime verificari potest; quavis enim in divina essentia contineri dicantur formaliter, & actualiter, & non virtualiter tantum, non tamen ut aequaliter inter se distincte, vel ab essentia, quemadmodum dicitur de attributibus, quia cum sint perfectiones, invicem subordinatae, & non disparatae, una includitur in alia, ut entitas in substantia, substantia in spiritu &c. & omnes includuntur in essentia, ut praedicata ejus quidditativa, atque ideo coeunt in unam naturam divinam, non unitate tantum reali, quia scietiam naturam perfectiones attributales, & personalitates, sed unitate etiam formali, quam cum ea, & inter se habent omnia praedicata, qua nostro intendendi modo eam quidditativè constituent; cum ergo praedicata quidditativa constituent unum formaliter, vel potius sint formaliter unum, & idem cum divina essentia, quo sensu non sunt idem cum ipsa relatione, & attributa, concludendum est, praedicata quidditativa non posse fundare distinctionem illam formalem actualem a divina essentia, aut inter se, quam fundant attributa, & personalitates, sed tantum virtualem, & fundamentalem. Ad 4. satis constat ex dictis num. 43. non qualemcumque definitionem diversitatem inferre distinctionem formalem inter definita, sed solum earum, quae dantur per conceptus adequatos, haec enim de definitio verè exprimit, ut se habeat a parte rei ante quodcumque opus intellectus; definitio autem, quae traditur per conceptus inadequatos, non exprimit rem, ut se se habeat a parte rei actualiter, sed tantum fundamentalter, & virtualiter, & ideo pluralitas talium definitionum non arguit inter illa plura distinctionem formalem, & actualem, sed tantum virtualem, & fundamentalem, in proposito autem perfectiones attributales habent diversitatem definitionum primi generis, ut constant ex secundavia, qua loco citato earum distinctionem formalem probavimus, atque ideo merito talem distinctionem eis tribuimus; ad perfectiones primariae, seu praedicata Dei quidditativa habent diversitatem definitionum secundi generis, ut valde docuit Doctor p. d. 7. q. 3. lit. F. & ad 1. primùm ait, quod cum intellectus Deum concepit sub conceptibus entis, substantiae, spiritus, qui sunt sibi communes cum creaturis, & sine de ejus quidditate, non ejusmodi conceptus abstrahit diversis realitatibus, quibus innitantur, sed ab eadem omnino realitate, quatenus est imperfectè, seu inadequatè concepta, atque ideo merito non majorem distinctionem virtuales eis adscribimus; quod quidem de attributis, & relationibus in ordine ad essentiam dici non potest, quia si relationes nullam propositam formalitatem dicunt praeter essentiam, sed sunt cum ipsa una, & eadem formalissima entitas actualis a parte rei, ut dicitur de praedicatis quidditativis, planè inter ipsas relationes realiter oppositio, ac realis distinctio concipi non poterit; de hac materia rursus redibit sermo infra qu. 8. de simplicitate Dei.

QUESTIO TERTIA.

De ordine naturae, & ordinis in divinis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quae prioritas, & posterioritas in divinis dignè admitti possit.

108 Hujus etiam quaestiones resolutio ab initio harum controversiarum premissis postulat, quandoquidem plurimum, & gravium difficultatum solutiones ab ea pendent in Theologia non minus, quam a decisione praecedentis controversiae: varios modos prioris, & posterioris enumeravimus disp. 9. log. q. 2. cum Arist. in Post. praed. cap. de Priori, & 5. Met. 16. & praecipui erant prioritas, & posterioritas dignita-

tis, seu perfectionis, durationis, naturae, & originis, qui modi hae ibi sunt declarati: Certum est, incertis in praesenti controversia separatim, etiam si certum est, ac fide indubitatum, priores duos modos prioritatis dignitatis, scilicet, & durationis in divinis locum non habere; & quidem inter divinas personas illos modos prioritatis non habere locum convincit ex Symbolo Achanasii, & in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus, sed totae Tres Personae Coeternae sibi sunt, & Coaequales, sic etiam loquitur Nazianzenus Orat. 37. de Spiritu Sancto: Nec enim, loquit, hoc magis, illud minus est Deus, nec hoc prius, illud posterius; & sic passim loquuntur alii Patres contra Arium disputantes, qui utramque prioritatem, & posterioritatem inter divinas personas impie invexit, asserens Patrem esse filio dignitate majorem, ac duratione priorem. An vero inter divinas perfectiones possit admitti prioritas, & posterioritas quoad perfectionem ista quod una sit essentialiter perfectior alia, respondet Doctor, p. d. 8. qu. 1. propè finem, quod considerando perfectiones simpliciter, ut in Deo reperitur contractae per infinitatem, una non est perfectior alia, sed omnes sunt aequè perfectae, quia omnes, & singulae sunt formaliter infinitae, & unum infinitum non excedit aliud; si verò considerentur secundum suas rationes formales praecise a finite, & infinite, & ponatur aliquis ordo essentialis inter illas; sicut ponitur inter species ejusdem generis, poterit una dici perfectior alia praecise sumpta; quod si talem ordinem essentialiter inter eas constituit non placet, eo quod quilibet in suo conceptu formali omnem excludit imperfectionem, qualem forte importaret talis excessus; tunc enim etiam sub tali consideratione una dici poterit essentialiter perfectior alia; sed quicquid sit de hoc, satis est in puncto praesenti, quod inter divinas perfectiones prioritas, & posterioritas in perfectione admitti non debet, quia cum omnes, & singulae sint infinite, sunt consequenter aequè perfectae. Sola igitur remanet difficultas de prioritate originis, & naturae, de prima quidem an veretur inter divinas personas producentes, & productas; siquidem inter eas prioritatem, & posterioritatem naturae proprie sumptam non reperiri satis conperitur, cum eo ratione, qua sunt producentes, & productae, sint relative, & relativa sint simul natura: de altera vero nempe prioritate, & posterioritate naturae, an reperitur inter perfectiones absolutas, & divina attributa? inter quae pariter certum est, prioritatem, & posterioritatem originis proprie dictam non verari, cum una perfectio proprie non originetur ab alia sicut una persona producat ab alia.

ARTICULUS PRIMUS.

Explicatur ordo originis in divinis.

109 Quoad prioritatem, & posterioritatem originis est controversia (licet ferè de nomine, ut postea constabit) inter Thomistas, & Scotistas, an dignè admitti possit inter personas divinas producentes, & productas. Negat D. Thomas p. 1. qu. 42. art. 3. ubi licet admittat ordinem originis inter divinas personas, quatenus una est productus, & alia producta, negat tamen aliquam prioritatem, aut posterioritatem etiam originis inter illas admitti debere, eo quia putat has habitudines prioris, & posterioris inaequalitatem, imperfectiorem, & casualitatem semper involvere, quae omnia à divinis sunt penitus removenda; sic etiam loquitur Durandus p. 20. quaest. 2. D. Bonav. p. d. 2. art. 2. quaest. 1. & 2. & alii antiquiores Scholastici. Scotus verò nedum admittit verum, realem ordinem originis inter divinas personas producentes, & productas, verum etiam consequenter realem prioritatem, & posterioritatem originis, ita loquitur in p. d. 5. quaest. 5. O. & d. 10. quaest. unico, in fine; & d. 12. quaest. 2. & d. 28. quaest. 3. F. & d. 1. qu. 1. H. & cum eo Scotista passim Baffol. & Tatar. d. d. 1. quaest. 11. Mairon. p. d. 12. quaest. 2. art. 1. & 2. Sirect. Trombet. Vallon. & alii Formalistae in tra& Formalit. Rada p. 1. contr. 5. Faber 1. disp. 25. Brancat. tom. 2. de Deo Trino lib. 1. disp. 4. quaest. 1. Scherius de Deo Trino. disp. 6. quaest. 12. & alii Recentiores passim. Suarez disp. 12. Met. sect. 1. Vasquez part. 1. disp. 167. cap. 2. Zumel. p. 1. quaest. 42. art. 3. Amicus in suo Cursu tom. 1. disp. 23. sect. 1. Gre. & Gabriel p. d. 19. & Marfilis q. 13. art. 1. Aegid. Lufftan. de Beatitud. lib. 5. qu. 13. art. 4. f. d. & alii passim.

Haec quaestio, ut dicebam, est ferè de nomine, nam in re conveniunt omnes, in divinis dari realem ordinem originis

nis inter personas producentes, & productas; nam inter eas est quidam ordo ex natura rei praesentibus, & non ex nostra tantum consideratione; quod enim Pater sit principium filii, & uterque Spiritus Sancti, & non è converso, ex natura rei praesentibus, & non ex nostra tantum consideratione; quod enim Pater sit principium filii, & uterque Spiritus Sancti, & non è converso, ex natura, & ordine mysterii Trinitatis enascitur, & non ab aliqua extrinseca ratione; at ubique non est realis ordo itatim inter ea secundum talem ordinem non est simulatas, nec necessario aliqua prioritas, & posterioritas secundum eam rationem, sub qua est ordo, ut postea deducam. Conf. quia per esse unum prius origine alio, solum intelligimus, unum producere aliud, & esse per posterius hoc esse productum ab illo, & nequaquam à se habere esse; at in divinis verè Pater est principium filii, & hic ab eo producitur, & uterque est principium Spiritus Sancti, & hic ab utroque procedit, & hoc ab omnibus conceditur, ut articulus de fide; ergo in re inter Thomistas, & Scotistas discrepantia esse nequit in hoc puncto, sed tantum in modo loquendi, an ob id persona producus dici possit origine prior, & producta origine posterior, ut etiam Cajet. concedit 1. n. loc. cit.

111 Et quidem quantum etiam attinet ad modum loquendi, quod ita sit loquendum, & quod abque ulla profusa imperfectionis novo ejusmodi prioritas, & posterioritas in divinis admitti possit, ac debeat inter personas producentes, & productas auctoritate, & ratione ostenditur à Scotistis: Itaque primo loco adducendo sunt PP. auctoritates, ut Cajetano occurramus praesertim, qui loc. cit. ait hunc modum loquendi non esse conformem dictis Sanctorum, & paratè occasionem errandi. Augustinus lib. de triplici habitaculo propè finem, & lib. de gaudiis electorum inquit: Pater non praecedit filium tempore, sed origine. Origines hom. 2. in 1. Joann. Praecedit Pater verbum non natura, sed causa, ubi Genitum more accipit causam pro principio. Richardus Viterbiensis lib. 4. de Trin. cap. 7. quod non potest esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter. Ugo Victor. 6. de Trin. cap. 6. prius, & posterius hoc loco intelligi volumus, non temporis successione, sed ordine naturae, vel originis. Damascen. lib. 1. de fide cap. 9. ait Patrem esse majorem, & superiorem, filio non natura, sed causae aeternae. 1. origines, Epiphanius, & Nazianzenus citati à D. Thom. opusculo contra errotes Graecorum cap. 2. & 9. asserunt filium esse medium inter Patrem, & Spiritum Sanctum, sic etiam loquitur Basilus lib. 3. contra Eunomium, ubi concedit inter primam, & secundam, & tertiam personam in Trinitate ordinem originis.

112 Nec suffragatur Cajet. responso loc. cit. quòd in divinis producentes, & productum considerata a parte rei sunt simul natura, & intellectus, sed considerata secundum modum concipiendi producentis est prius producto, & generans genito. Non, inquam, valet; quia sicut Patres locis allegatis loquuntur de vero, & reali originis ordine, non autem fictitio, ac imaginatio, sic pariter loquuntur de ordine prioris, & posterioris secundum rem quoad originem, quòd inter omnes PP. adhuc clarius expressit Basilus lib. 1. contra Eunomium non longe à fine, ubi agens de ordine originis inter divinas personas inquit, quoniam igitur pacto rationem habet, ordinem in his negare, in quibus est prius, & posterius, non positione nostra, sed naturali quadam consecutione, ergo prioritas, & posterioritas in divinis inter producentis, & productum non est tantum per nostrum concipiendi modum. Conf. quia secundum Aug. 1. de Trin. nulla res est, quae seipsam signat, & producat, quia idem esset prius seipso; ut ait Anselmus in Monolog. cap. 1. ergo per Aug. producentis est prius producto saltem origine, & hoc quidem a parte rei, & non per fictionem nostram; ergo talis quae prioritas, & posterioritas reperitur in divinis inter personas producentes, & productas ex natura rei, non per intellectum tantum, ut late probat Lufftan. loc. cit. ex PP. & Conciliis. Deinde arguo cum Mairon. p. d. 12. quaest. 2. art. 1. in divinis personis datur ordo ex natura rei praesentibus, quòd Pater sit prima persona, Filius secunda, Spiritus Sanctus tertia, & non per imaginatorem nostram aut ex numerantis arbitrio, alioquin promissivè posset Filius quoque dici prima persona, vel Spiritus Sanctus, & Pater secunda, vel tertia; ergo inter divinas personas datur prioritas, & posterioritas originis realis, & non tantum per intellectum; consequentia probatur multipliciter à Mairon. sed breviter ostenditur, quia prius, & posterius essentialiter includitur in primo, & secundo ea ratione, qua est primum, & secundum, quia

primum ex conceptu suo secundum antecedit antecessione primitati proportionata; ergo si Pater ex natura rei est prima persona, & Filius secunda, planè ex natura rei Pater quoque erit prior Filio, & uterque Spiritus Sanctus. Denique concludit Mairon. nulla difficultas adduci potest à Thomistis contra prius, & posterius origine in divinis personis, quòd non equè militet contra primum, & secundum inter eas; vel ergo utrumque concedere coguntur, vel utrumque negare.

Respondet Thomista, quòd Pater dicitur prima persona; Filius secunda, Spiritus Sanctus tertia, non quia una sit prior origine alia a parte rei, sed quia una est ordo originis ex natura rei, unde primum, & secundum in divinis denotat solum ordinem praesentendo à quacunque imperfectione; at prius, & posterius superadderet excessum, & defectum. At hac est meta evasio, qua statim pracluditur, nam ut ait Mairon. prius, & posterius est naturalis passio ordinis, nam ordo non est nisi plurium disposio secundum prius, & posterius, & includitur essentialiter in primo, & secundo, ergo si potest in divinis assignari primum, & secundum sine ullo excessu, & defectu, sic etiam assignari poterit prius, & posterius, & talis est prioritas, & posterioritas originis, quòd inter producentis, & productum intercedit origo abque ulla casualitate, & dependentia originari à producente; tunc enim non significat prioritatem producentis in aliquo signo, in quo sit producentis, vel saltem esse possit sine producto; sed tantum indicat prioritatem à quo, ita ut producentis in tantum dicatur prior producto, in quantum hic est ab illo, & ille est id, à quo aliud, in quo statim prius, & posterius origine nullam profusa importat imperfectionem, neque excessum, vel defectum magis, quam importet producentis, & productum.

Sed jam ostendo etiam ratione ex eodem Mairon. deducenda, quòd si Thomista admittunt verum, & realem ordinem originis in divinis inter personas producentes, & productas, debent quoque admittere prioritatem, & posterioritatem inter eas consimilem. Ubique non est simulatas omnimoda, ibi necessario est prius, & posterius, sed ubi est ordo, nequit esse simulatas omnimoda; ergo si inter divinas personas est ordo, necessario erit ibi prius & posterius tali ordini proporti naturam; major constat ex terminis, probatur minor, ordo namque est habitudo disparitatis, quae non potest esse inter illa, quae sunt ejusdem rationis, secundum quod hujusmodi simulatas autem est relatio aequiparantiae, quae fundatur super unum, vel loco, vel tempore, vel dignitate, vel natura, & sic de aliis, ergo cum relatio disparitatis nequeat esse inter extrema relationis aequiparantiae, in quantum talis, si ordo est inter personas divinas, sequitur necessario, quòd non erit ibi omnimoda simulatas, sed prioritas, & posterioritas tali ordini proportionata. Confirmat, quia simul, & prius, ac posterius contradicunt ex cap. de Priori in post. praed. ita quòd inter ea non datur medium secundum eas rationes, secundum quae opponuntur, simulatas namque duorum in aliqua ratione negat prioritatem; & posterioritatem eorumdem in eadem ratione; sed inter divinas personas non est simulatas originis, quia, est ordo originis realis inter eas, & secundum talem ordinem non est simulatas; ergo inter eas est necessario prioritas, & posterioritas, ejusdem originis, quae non est aliud, quam esse à quo aliud, & qui ab alio, ut explicat Doctor prima d. 10. quaest. unico, in fine. Demum principium etiam non dicit habitudinem causae, ob solam, & praecisam rationem principii, ut sic, est prius principio, ut constat ex ipsis terminis, prius inquam origine, si non natura, vel tempore; ergo principium originans, qualis est Pater respectu filii, & uterque respectu Spiritus Sancti, erit prius originato eadem prioritate. Et hoc ipsum concessit tandem D. Thomas & Cajetan. cum ipso 2. quaest. 26. art. 1. ubi ait, quòd ordo includit in se aliquid modum prioris, & posterioris, & Cajetan. ibidem in Commentario illius loci probat ordinem semper esse cum prioritate, & posterioritate dicens, ex hoc ipso, quòd aliquid ponitur habere rationem principii in actu, ponitur ordo inter ipsam principium prius, & principium posterius, & concludit ordinem includere prius, et posterius, cum ergo in divinis sic verus, ac realis ordo originis inter personas, ut concedunt Thomista, & cum Pater verè sit principium filii, et uterque Spiritus Sancti, ut fides docet, plane inter divinas personas etiam ex ipso D. Thoma erit realis prioritas, et posterioritas originis.



115 In oppositum obicitur Primo ex Patribus. Augustinus lib. 3. contra Maximianum. Non genitorem ab eo, quem genuit, sed genitorem a genitore mitti oportebat, verum hoc non est inaequalitas substantiae, sed ordo naturae, non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ex altero. Ambr. lib. 4. de fide cap. 6. & si Pater dedit filio, non tamen quasi posteriori dedit. Ildorus Pelusota lib. 2. Epist. 149. Trinitas nec prius, nec posterior, nec primum, nec secundum, nec tertium admittit. Nazianzenus epist. 29. unigenitus ex ipso quidem est, & ceterum non post ipsum, aut saltem sola principii cogitatione, & sic patim loquuntur alii Patres.

Respondetur, quod cum iidem Patres allegati admittant in divinis personis prioritatem, & posterioritatem originis, ut constat ex testimoniis pro nostra sententia adductis, planè in locis nunc adductis de eadem prioritate, & posterioritate originis non loquuntur, sed de illa, quae importat inaequalitatem substantiae, quam Atrius impiè in divinis invehere ausus fuit, ut patet ex ipsis Augustini verbis, ac etiam Ambrosii dicentis loc. cit. *Et si Pater dedit filio, non tamen quasi posteriori dedit, quia increata Trinitas, quia unus est aeternitatis, & gloriae, nec tempus, nec gratia, vel posterioris recipit, vel prioris, unde quamvis res ipsa datur inter divinas personas ordo prioris, & posterioris secundum originem, non tamen licet absolute dicere unam personam alia priorem, ut ritè notavit Vasquez loc. citat. sed addi debet secundum originem, nam prius, & posterior absolute sumpta, & prolata relationem dignitatis, & durationis significant, ut verò cum addimus secundum originem, vel secundum naturalem ordinem, & consequentem, durationis prioritatem intelligere non est opus, & hinc est quod Patres, & Concilia prius, & posterior absolute sumpta, & prolata inter divinas personas perpetuo negantur.*

116 Secundo arguit Durandus, si una persona esset prior origine altera, aut esset ratione essentiae, aut ratione relationis, non ratione essentiae, quia cum sit una numero in omnibus personis, non potest ratione illius una persona esse prior altera, nam prius requirit distinctionem à suo posteriori, nec ratione relationis, quia relationes, quibus divinae personae constituuntur, sunt oppositae; relationes unae oppositae sunt ipsi naturae, & ratione, neutra enim esse, aut concipi potest sine altera.

Resp. Personam divinam producentem esse priorem origine ipsa producta non ratione essentiae, sed relationis; & cum dicitur relationes oppositae esse simul naturae, inquit Doctor prima distinct. 28. quest. 3. F. & 4. d. 13. quest. 1. S. quod licet relativa sint simul naturae, prout simul dicitur, non posse esse sine se invicem, tamen cum tali similitate naturae sit prioritas originis, quae nihil aliud dicit, nisi à quo est aliud; neque in hoc ulla est repugnantia, quia ut diximus disp. 9. log. quest. 2. art. 2. in fine bene cohaeret prioritas minor cum similitate majori; unde quemadmodum hac ratione prioritas naturae cohaeret cum similitate temporis, ita pariter eadem ratione poterit prioritas originis cum similitate naturae consistere, ut minor illa. Et cum rursus in argumento uteretur, quod relationes oppositae non solum sunt simul naturae, sed etiam ratione, neutra enim esse, aut concipi potest sine altera, ex quo deduci videtur prioritatem originis inter eas versari non posse; nam quae nullum possunt habere ordinem prioris, & posterioris, in intellectu, omnino nullum habere possunt ordinem extra intellectum, quia haec similitas veluti maxima videtur omnem à parte rei ordinem destruere prioris, & posterioris. Negat rursus Doctor loc. cit. in 4. hanc consequentiam, ad probationem, ait, quod esse simul in intellectu potest intelligi dupliciter, vel quod illa similitas determinet actum intelligendi, ut transit super objecta; vel quod determinet ipsa objecta, quae intelliguntur; Vel aliter, & recidit in idem, similitas potest dicere modum objectorum, ut intelliguntur, seu ut comparantur ad actum intelligendi, vel modum ipsorum secundum se; primo modo propositio est falsa, quae nullum ordinem habent in intellectu, & c. quia quantumcumque oporteat ea cointelligi, non propter hoc tollitur aliquid, quod convenit eis secundum se; contra quam solutionem urget ibi Doctor nonnullas subtiles instantias, quas adhuc subtilius solvit omnino ibi videndas; ubi adhuc etiam advertendum est, quod cum dicimus, personam producentem esse priorem origine persona producta non ratione essentiae, sed relationis; hoc non est intelligendum de relatione, ut formaliter exercet munus referentis, sed originantis, & constituentis, tum potentiam producendi, tum suppositum ipsum producentis.

Tertio arguit Aureolus p. d. 9. & Bacon. dist. 6. quest. 1. licet signa à quibus admitti possint in divinis, non tamen signa in quibus, utpote quae prioritatem, & posterioritatem durationis important; sed signa originis à Scoto posita in divinis videntur signa in quibus, ut constat ex modo eius loquendi, dum ait, Patrem esse in primo signo originis, in quo non est filius, filium esse in secundo signo originis, in quo non est Spiritus Sanctus, qui tamen est in tertio signo originis; ergo &c.

Resp. Majorem non esse absolute veram, quia dantur signa naturae in quibus, una formalitas praetelligitur alteri, ut mox dicemus, à prioritate durationis omnino praecedentia; deinde negatur minor, quia ut jam notavimus disp. 9. log. quest. 2. art. 2. prioritatem originis in divinis Doctor perpetuo explicavit per signa à quibus, & ferè nunquam in quibus, unde p. d. 10. quest. unic. in fine ait distinguendo inter instantia originis non distinguuntur inter durationem, & durationem, sed tantum à quo quis sit; & d. 12. quest. 2. ait Patrem prius origine filio spirare, & filium posteriori, quia Pater à se, filius ab alio spirat, & d. 2. a. d. 1. q. 1. ait Patrem prius origine filio intelligere lapidem, quia Pater à se, filius ab alio intelligit; & quol. 8. O. prius origine causae, est causae à se, posterior est causae ab alio; & quol. 4. s. de primo, ordo originis non requirit, nisi quod hoc sit ab hoc; & 4. d. 13. quest. 1. lit. S. prioritas originis nihil aliud dicit, nisi à quo illud, & sic alibi frequenter; quare si interdu dixit Doctor Patrem esse in primo signo originis in quo non est filius, & in primo signo originis spirare, in quo non spirat filius, planè indicare nolit dari aliquod instantia durationis, in quo existat, & spirat Pater in quo non existat, & spirat filius, quis demens hoc diceret? sed juxta consuetam explicationem ab ipso datam de prioritate, & signis originis dicere voluit, Patrem esse à se, non ab alio, & hoc est esse in primo signo originis; filium non esse à se sed ab alio, & hoc est non esse in primo signo originis, sed in secundo; & sic pariter intelligendus est si interdu ait Patrem spirare in primo signo originis, in quo non spirat filius, nempe Patrem spirare à se, & filium ab alio.

Faber p. disp. 25. num. 21. contendit, prioritatem originis esse prioritatem in quo licet non in ordine ad durationem, & non bene explicari per à quo quia Doctor ponit signa originis inter intellectum, & voluntatem, inter generationem, & spirationem, quorum tamen unum non est ab alio; unde tandem concludit vanam esse distinctionem de signis à quibus, & in quibus, nec declarat positionem Scoti, quia ipse non solum ponit signa, secundum quae unum originatur ab alio, cuiusmodi sunt signa, quae sunt inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, inter quos est originatio, sed ponit signa originis inter intellectum, & voluntatem, inter generationem, & spirationem, inter quae nulla est originatio unius ab alio; Sed planè fallitur Faber negando signa à quibus in divinis, quia ut constat ex locis allegatis prioritatem originis proprie dictam semper explicavit Scot. per signa à quibus, & non in quibus; dixi proprie dictam, quia, verum est Doctorem accepisse interdu signa originis minus proprie, ut coincident cum signis naturae; ut passim advertunt ejus expositores, & formalitè; ita planè intelligendus est p. d. 1. quest. 2. s. quantum ad istum art. cum ait, Pater est perfectè beatus prius origine, quam generet filium, quia nullam perfectionem sibi intrinsecam habet à persona producta, & cum inquit p. d. 6. quest. unic. art. 1. s. de quarto dico Pater in primo signo originis intelligit suam essentiam, & in secundo instanti originis gignit filium; haec enim, & similitudine intelligi nequeunt de prioritate originis proprie dicta, quia sic Pater in eodem primo signo originis intelligit essentiam suam, est perfectè beatus, et filium gignit, quia à se intelligit, et à se gignit; intelligit ergo Doctor, dum ita loquitur per signa originis signa naturae, quatenus absoluta, & essentialia in divinis sunt priora naturae notionalibus, et sic pariter intelligendus est, ac explicandus, si quando inter intellectum, et voluntatem inter generationem, et spirationem ponit signa originis; Rectè igitur distinxit Scotus in divinis signa à quibus, et in quibus indicantes per illa signa originis, et per illa signa naturae, et bene signa originis potius appellavit signa à quibus in divinis, non in quibus quia ibi non important, nisi habitudinem à quo aliud; Verum tamen est, quod in creatis, ubi originatio est causalitati connexa, signa originis dici etiam possunt signa in quibus non ratione proprie formalitatis, sed prioritatis naturae adjunctae, quae est prioritas in quo, ita dictum est disp. 9. loc. cit.

Quar-

119 Quarto tandem arguunt alii Nominales; si filius in divinis esset origine posterior Patre, ergo non erit in primo signo originis, sed in secundo; atque ita non erit aeterno, Conf. quia assignari non potest, quid formaliter dicat haec prioritas, & posterioritas originis, an scilicet, quid distinctum ab ipsis originibus; an aliquid idem.

Resp. Plura ad hoc argumentum afferri à Mairon. 1. d. 12. quest. 2. art. 2. atamen ex dictis breviter neganda est ultima consequentia, cum enim dicimus, filium non esse in primo signo originis, non negatur habere existentiam absolute loquendo, sed tantum illam non habere à se, sicut habet Pater; neque sensus est, ut argumentum pretendere videtur, quod non existat in quocunque instanti, in quo existit Pater; quia tunc explicatur signa originis per instantia durationis; sed sensus est, quod non habeat esse à se, sed ab alio, nam esse in primo signo originis significat esse à se, & esse in secundo significat esse ab alio; sicut cum dicimus, hominem in primo signo naturae non esse possibilem, sed rationalem, sensus non est, quod in quocunque temporis instanti non habeat possibilitatem, sed solum quod non habeat illam inter instantia, & in primo modo dicendi per se, sicut habet rationalitatem, hoc enim significat per se in primo signo naturae. Verum tamen ut omnis equivoce tollatur, & candidus teneatur loquendi modus praesertim in divinis, explicari debent instantia, & signa originis per esse à se, vel ab alio, & signa naturae per verbum intelligi cum praecisione, ut mox dicemus.

Ad Consi. iam dictum est disp. 4. cit. loc. quest. 2. art. 2. explicando prioritatem originis; talem ordinem originis, vel non dicere, nisi entitates extremorum, quae ex seipsis habent hunc ordinem inter se, quatenus originatio activa est respectus denominans producentis à quo aliud quod est esse prius origine, & originatio passiva formaliter est respectus denominans originatum quod ab alio, quod est esse posteriori origine, ut opinatur Teribus s. met. questio 12. & Rada contr. cit. in fine, vel si dicitur habitudinem extremi superadditam, & ab eis distinctam, planè non majorem patitur distinctionem, quam passio à proprio subiecto, nam ordo originis comparatur ad ipsas originis, vel ad extrema sic ordinata, sicut passio ad ipsum subiectum; & hoc secundum magis Mairon probatur loc. cit. p. d. 12. quest. 2. ab initio, ubi ait, quod sicut ordo naturae, & perfectionis non est ipsa natura, aut perfectio, sed habitudo inter talia extrema, quae talem ordinem habent, ita ordo originis est habitudo inter ipsas originis, vel inter ea, quae ipsi originibus referuntur. Et hic rursus nota pro exacta horum terminorum intelligentia, quod quamvis interdu dici solet Patrem esse in primo signo originis, quia est à se, tamen proprie loquendo Patrem non eo formaliter esse priorem origine, quia sit à se, vel à nullo, sed eo quod aliam personam producat; & ratio est, quia prioritas originis, ut modo dictum est, est habitudo producentis ad productum, sicut est contra posterioritatem originis est habitudo producti ad producentis; sicut ergo, aliquid dicitur posteriori origine formalitè, eo quod est ab alio productum, sic est converso prius origine dicitur aliquid, quia producit aliud, at producentis non dicitur habitudinem ad productum per hoc, quod non sit ab alio productum, quia potest esse non ab alio productum; & tamen nullius productivum, & tunc nulla esset in eo prioritas, quia non daretur aliquid posteriori ipso, ergo Pater proprie loquendo dicitur originis prior alii personis, quia illas producit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Declaratur ordo naturae in divinis.

121 Declaratur ordine originis inter divinas personas cum prioritate, & posterioritate sibi proportionata, nunc declarandum est ordo naturae inter divinas persones cum prioritate pariter, & posterioritate sibi proportionata, ut huius terminis in universalis examinatis, habemus regulas quasdam universales pro solutione occurrentium difficultatum in divinis, & ad rectè loquendum de prioritatibus, & posterioritatibus, quae in divinis solent assignari, & quidem in primis certum est apud omnes, ordinem naturae non esse mensuram aliquam, secundum quam realiter prius sit in aliquo instanti, in quo non sit posterior, etenim mensura existentiae rerum solum est tempus, vel aevum, vel aeternitas secundum exigentiam rerum mensurabilium, unde Amicus tom. 1. disp. 22. cit. num. 33. falso imponit Scoticis, quod ita assignent in divinis diversè instantia, & si

qua natura, ac ut ipsa non omnia responderent eidem instanti durationis, id enim nec quidem per somnium dixerunt unquam Scotus, & Scotista, quin potius ubique profertur, & protestantur, haec instantia, seu signa naturae non poni quasi id, quod prius dicitur, sit in aliqua mensura temporis, in qua non sit posterioris parte rei, quia cum illa simul existant in eodem instanti, jam non potest pro eodem instanti non existere.

Sed quamvis, inquam, id omnes uno ore fateantur, 122 tamen valde difficile videtur explicare, quid minus dicat haec naturae prioritas, & posterioritas, ut non cum temporanea coincidat, sed dicatur minor ea, & quid amplius addat supra prioritatem, & posterioritatem originis, ut dicatur major illa, ita quod in uno instanti naturae includantur plura originis, praesertim cum prioritas, & posterioritas originis versetur semper inter realiter distincta; quorum unum est ab alio, si proprie, & in rigore sumatur, non tamen prioritas, & posterioritas naturae. Ratio praecipua dubitandi haec est, quia, vel haec prioritas, & posterioritas naturae importat solum prioritatem à quo, ut solet explicare Thomista, & sequitur Amic. cit. num. 33. & dicitur versari inter causam, & effectum; & tunc praeterea quod talis naturae prioritas, & posterioritas versatur quoque inter aliqua, quorum unum non est ab alio, nec alterum est alterius causa nec physica, nec metaphysica, sic enim dicimus intellectum naturae praecedere voluntatem, intellectum enim volitionem, & unum effectum alterum, quando ab eadem causa ordinate procedunt, absque causalitate unius ab altero; tunc (inquam) prioritas, & posterioritas naturae recipiatur omnino cum ea originis, quae importat solum prioritatem à quo, atque ita etiam inter divinas personas producentes, & productas versaretur, quod tamen est contra naturam relativorum, quae dicitur esse simul naturae ex cap. de ad aliquid. Si vero haec prioritas, & posterioritas naturae explicatur per habitudinem in quo cum Scotis, vel explicatur per habitudinem in quo essentia realem, quae versatur inter extrema, de quibus verum sit dicere à parte rei, quod unum sit in aliquo signo naturae, in quo non sit aliud, & tunc prorsus recipiatur videtur cum temporanea, & durationis, quae pariter explicatur per verbum est, & in ipso, vel explicatur per habitudinem in quo intelligendi, quae versatur inter extrema sic ordinata, ut in uno signo intelligitur existere unum, in quo non intelligatur existere aliud, licet à parte rei ambo coexistant in eodem durationis instanti, & tunc talis prioritas, & posterioritas non erit realis, seu ex natura rei, sed potius per opus intellectus concipientis unum existere prius alio, cum tamen non ita res se habeat à parte rei. Vel tandem naturae prioritas explicatur per naturalem praesuppositionem unius ab alio, ut loquitur Canonice noster 1. Physic. quest. 4. & Rada contr. 3. cit. & passim alii Scotistae dicentes, quod esse prius naturae, non est esse prius in aliquo signo, in quo non sit posterior, sed est tantum simplex praesuppositio huius ab hoc, ita quod ordo naturae est tantum inter illa, quorum unum ex natura rei praesupponit aliud, licet in nullo instanti mensuretur existentia unius, in quo non mensuretur existentia alterius. Et quidem haec explicatio consistit in puris verbis, vel manifestè principium petit; quia rursus queritur, quid dicat haec naturalis praesuppositio unius ab alio; nam talis praesuppositio communis est quoque ordini originis, & durationis, nam in ordine originis producentis praesupponitur producto, & in ordine durationis prius existens praesupponitur posteriori; quod si dicat, hic praesupponi tempore, ibi autem tantum natura, ut manifestè principii petitio, nam hoc est quod queritur, quid dicat hoc illi praesupponi natura. Item redit argumentum antea factum, quia haec praesuppositio naturalis unius ad aliud vel explicatur per habitudinem à quo, vel in quo &c.

123

Huius difficultatis solutio, & ordinis naturae, explicatio petenda est ex doctrina iam tradita de prioritate naturae prioritatis naturae, quae omnes, & singula ad duos in genere reduci possunt, ut notat Doctor 3. d. quest. 1. G. alia namque est prioritas naturae essendi, altera intelligendi, quarum utraque explicari debet per habitudinem in quo sibi proportionatam, prima nimirum per habitudinem in quo essendi, altera vero per habitudinem in quo intelligendi, & utraque suo modo realis est, & fundata in ordine inter plures res, vel formalitates ex natura rei reperto absque fictione intellectus. Itaque prioritas naturae essendi explicatur per habitudinem in quo essendi, quae



quasi prius existat in aliquo instanti, in quo actu non existat posterius, nam talis esset prioritas durationis, & esset contra rationem prioritatis naturae, in qua supponitur tale prius, & posterius coexistere simul in eodem durationis instanti; sed explicari debet per habitudinem in quo essendi potentialem, & aptitudinalem, ita ut illud dicatur prius natura, quod licet sit actu simul cum alio, tamen quantum est de se, potest esse sine illo, licet non est contra, quae declaratio prioritatis naturae essendi est Arist. 5. met. cap. 2. text. 16. ubi priora natura ait esse illa, quae possunt esse sine aliis, non verò alia sine ipsis, quo pacto dixit 7. met. 4. substantiam accidentibus naturam priorem, quatenus haec separari potest ab hoc, & illo accidente, non est contra; & huius generis videtur esse prioritas, quam inconvertibilitatis appellant, de qua Arist. in post. praed. cap. de Priori, ex vi cuius animal potest existere sine homine, & universaliter superius, sine inferiori, non est contra; & talis etiam videtur esse prioritas naturae, quam dicunt causalitatis physicae, ex vi cuius potest esse causa sine suo effectu, cum sit ab ipso independens, non tamen contra, cum effectus sit a causa dependens, & hoc quidem quantum est ex vi talis prioritatis, licet aliunde interdum possit oriri impedimentum, ut constat de partibus unitis respectu compositi; Ex qua explicatione patet habitudinem huius prioritatis, & posterioritatis naturae verificari inter extrema realiter distincta, nam separatio possibilis sufficiens est signum realis distinctionis inter separabilia.

124 Prioritas verò natura intelligendi explicari debet per habitudinem in quo intelligendi, ita ut hoc modo unum dicatur prius natura alio, quatenus licet in nullo instanti durationis possit existere sine illo, potest tamen concipi, ut existens, non concepto illo alio, ut existente, non quidem divinis, sed praesens, & in hoc sensu subiectum dicitur prius natura passione, non quia possit aliquando esse sine passione, cum sint realiter idem, sed quia licet existat simul cum ipsa, non tamen existit ex vi illius, sicut est contra passio existit ex vi existentiae subiecti; & hoc est fundamentum, quare absque mendaciatione concipi possit subiectum ut existens, non concepta passione, ut existente, praesens; & quare talis prioritas sit suo modo realis, etiam si explicetur per habitudinem in quo intelligendi, & non per intellectum confecta; Et hoc etiam eodem modo explicari debet prioritas naturae, quae verificatur inter duos effectus, vel quatuor effectus ab eadem causa provenientes, ut inter intellectum, & voluntatem, quae sunt facultates immediate ab eadem substantia animae per simplicem emanationem derivantes, & non una ab alia; quoniam enim inter se non ordinantur in ratione effectus; & cause ullo modo, ordinantur tamen ex natura rei in ratione effectus mediatoris, & immediatis, quatenus immediatus ab anima dimanat intellectus, quam voluntas, nam haec ab anima promanant medio intellectu, unde licet intellectus nullo modo sit causa existentiae voluntatis, adhuc tamen voluntas dicitur existere in anima ex vi intellectus, quatenus est effectus animae immediatus ipsa, unde in hoc sensu dicitur natura prior illa, quia licet existant simul tempore, tamen non existit ex vi illius, sed potius est contra modo explicato, & ideo tunc abque mendaciatione potest intellectus concipi, ut existens in anima, non concepta voluntate, ut existente, non tamen est contra. Ex qua explicatione patet huiusmodi naturae prioritatem verificari inter extrema, vel formaliter ex natura rei distincta, ut apud nos distinguuntur subiectum, & passio intellectus, & voluntas, vel saltem ex natura rei virtualiter; quia ordo fundatur in distinctione, unde si extrema essent sola ratione distincta, ut est de subiecto, & praedicato in propositione identica, prioritas, & posterioritas inter ea esset praesens rationis, quo fundamento ductus Doctor quol. 1. §. de secundo probat essentialia in divinis esse priora nonionalibus, & divina essentia immediatiora, quia qualis (inquit) esset per se realis ordo inter aliqua, si essent realiter distincta, talis per se ordo esset inter illa correspondens illi distinctioni, quam habent, utpote rationis, si distinguuntur ratione, & hoc sive ratione sumpta ex parte rei, sive merè causata per opus intellectus; ex qua declaratione prioritatis naturae, soluta manet difficultas tacta num. 122. circa varios ejus explicandi modos, & patet quomodo sit major prioritate originis, & minor prioritate temporis, est enim ea major, quia prioritas originis pura non admittit unum ejus extremum posse esse sine alio, nec concipi sine alio, nam etiam inter relativa verificatur, quae sunt simul existentia etiam per intellectum, & ideo importat solam habitudinem a quo aliud; est verò minor prioritate temporis, quia explicari

non potest per habitudinem essendi in quo actualem, ut explicatur prioritas temporis, sed tantum potentialem, aut per simplicem habitudinem in quo intelligendi, cum fundamento in re, vel distinctionis formalis, vel saltem virtualis inter extrema modo infra explicando num. 130.

Hac declaratione praemissa ordinis naturae, nunc disquirandum est, quae, & qualis prioritas naturae dignè admitti possit inter divinas perfectiones, & quidem certum esse debet non posse inter illas admitti prioritatem naturae essendi, qualis dicitur ab Arist. 5. Met. cap. 11. quod prius potest esse sine posteriori, non est contra, quia una divina perfectio, nequit esse sine alia, & haec prioritas supponit extrema realiter distincta, & alterius naturae, ac essentiae; quae de causa nedum repugnat esse inter divinas perfectiones, quae summa identitate realiter identificantur, sed etiam inter divinas personas, quoniam enim iste realiter ab invicem distinguuntur distinctione reali suppositorum non tamen distinctione reali naturatum, cum sint ejusdem omnino singularis naturae, ac essentiae, unde repugnat omnino unam esse sine alia. Branchius disp. 4. cit. quest. 1. art. 4. ad 8. admittens cum nonnullis Scotistis hanc prioritatem inter divinas essentias, & ceteras perfectiones attributivas, ait, quod prius natura, quoniam quantum est de se potest esse sine posteriori, quia prius, ut prius à posteriori non dependet, nihilominus aliunde potest implicare, ut non possit esse sine posteriori, nempe propter identitatem prioris cum posteriori, & ita essentia nequit esse sine modo intrinsecis, ac attributis, quia est eadem realiter cum illis. Ceterum hoc est confundere prioritatem naturae essendi cum prioritate naturae intelligendi, imò destruit rationem prioritatis essendi ad Arist. assignatam, nam talis prioritas ex sua ratione supponit extrema inter quae verificatur ab invicem realiter, ac essentialiter distincta; unde eo ipso, quod inter ea reperitur realis identitas, non amplius inter ea prioritas, & posterioritas naturae essendi, sed tantum intelligendi verificari potest, nec amplius dici potest prius esse posse sine posteriori, in quantum prius, sed tantum posse praesens intelligi prius, ut existens, non intellecto posteriori, ut existente. Deinde falsum est repugnare solum ob realem identitatem unam divinam perfectionem esse posse sine alia, nam hoc etiam eis repugnat ex eorum ratione formali, quatenus omnes sunt formaliter necesse esse, & necessitas essendi est de ratione singularum, vel saltem modus earum intrinsecus; ergo non ob solam identitatem prioris cum posteriori repugnat in divinis illud esse posse sine illo, sed etiam quia, nedum prius, ut prius, sed etiam posterior, ut posterior in divinis est necesse esse, ex quo capite aequè repugnat prius esse posse sine posteriori, ac e contra.

Rubion. 1. d. 9. quest. 1. inquit, quod licet nec inter divinas perfectiones, nec personas possit admitti prioritas naturae in eo rigore, quod definitur ab Arist. quia scilicet unum re ipsa existere, aut duratione praecedere potest aliud ex sua conditione; tamen si ordo naturae accipiatur, ut est inter illa, quorum prius licet existere nequeat sine posteriori, est tamen minor repugnantia, quod illud, quod dicitur prius esset sine alio, quam est converso, nisi aliud obviamer, quia in divinis minus repugnat essentiam existere sine attributis, quam est contra, & minus repugnat personam producentem existere sine producta, vel etiam duratione praecedere productam, quam est contra, ideo inter essentiam, & attributa, ac etiam inter ipsas personas prioritas, & attributa, ac etiam inter ipsas personas prioritas, nam praeterquam quod haec naturae prioritas inter tota acceptiones ab Aucto-ribus assignatas non invenitur, plane etiam admissa divinis non coartatur, nam cum omnes divinae perfectiones, ac personae sint aequaliter necesse esse, erit consequenter aequalis in omnibus repugnantia, ut una sine alia existere possit. Nec suffragatur, quod perfectiones attributivas ab essentia dimanet, & filius producat a Patre; hoc enim non tollit, quin omnes huiusmodi perfectiones, ac personae sint aequaliter necesse, atque ideo aequè repugnet priori esse sine posteriori, ac e contra, nam ut notat Doctor 1. d. 2. quest. 7. §. tenendo igitur ex eo quod Filius in divinis sit a Patre productus, non sequitur, quod sit minus necesse esse formaliter, quam Pater, & consequenter, quod minus repugnet persone producenti existere, aut duratione praecedere, quam persona productae, nam tam impossibile est unum, quam aliud, & quidem per locum ab intrinsecis; ergo nec inter divinas essentias, & attributa, nec inter personas ipsas potest admitti prioritas naturae etiam in hoc sensu explicata.

127 Sed insat Rubion, ubi sunt aliqua, quorum unum minus repugnet, nisi hoc aliquid impediret, praecedere alterum duratione, quam est converso, ibi est natura prioritas hoc modo; sed in divinis sunt suppositum producentis, & productum, & licet, quia sunt idem necesse esse, non magis repugnat producentis esse sine productum, quam est contra; tamen si non hoc impediret, utiq; minor repugnantia esset, quod producat praecederet productum, quam est converso, nullo enim modo aliquid productum etiam à producente essentialiter distinctum potest duratione praecedere suum principium productivum, sed bene est converso, ut apparet in creaturis, Resp. negando minorem, quoad secundam partem; quia cum producentis, & productum constituuntur relationibus oppositis, & relationes oppositae sunt simul natura, & ratione, neutra enim esse, aut concipi potest sine altera, aequè repugnat producentis ut sic, duratione praecedere productum, quam est contra; ad probationem dico: aliud esse loqui de principio actu producente, aliud de principio productivo; hoc quidem in creatis potest duratione praecedere terminum productum, non tamen principium actu producentis, cui respectu producti alia prioritas assignari nequit, quoniam originis, quae puram importat prioritatem à quo, non in quo, & talis sola reperitur inter divinas personas.

128 Sed dicitur, datur in divinis prioritas inconvertibilitatis, seu secundum subsistentiam consequentiam; Sed talis prioritas spectat ad ordinem naturae essendi ex dictis num. 123. ergo talis prioritas in divinis admitti debet; probatur major; non enim sequitur: haec persona est Deus, ergo est Pater; contra verò sequitur: haec persona est Pater, ergo est Deus; ergo sunt perfectiones in Deo; in quibus non convertitur subsistentia consequentia. Resp. talem prioritatem in creatis utique esse realem, & essendi, quatenus prius est separabile ex natura rei à suo posteriori, ut animal ex natura rei potest existere sine homine, non quidem si consideretur, ut contractum per differentiam hominis, sed consideratum, ut superius indifferens ad illam, & alias; in Deo autem talis separabilitas reperiri non potest inter superius, & inferius, quia in Deo commune, & proprium, sive superius, & inferius, non distinguuntur ex natura rei, sed sola ratione, non enim Deitas est natura communis per indifferetiam ad tres personas, sed humanitas communis est Petro, & Paulo, sed est eadem singularissima natura in tribus, & tantum communis per rationem, & neque id mirum esse debet, quia ut dixi disp. 2. Met. de natura entis num. 76. & disp. 9. de natura communi n. 55. haec prioritas inconvertentia non est prioritas realis, & in essendo, quantum est ex se, sed tantum Logica, & in praedicando, fit autem realis, & in essendo gratia materiam, in qua reperitur, nimirum quando coartatur ad seriem graduum praedicamentalis, ut ibi explicatum est, quatenus inter eos reperitur distinctio formalis ex natura rei, & non virtualis tantum, aut per intellectum.

129 Dicendum itaque est inter divinas perfectiones solam prioritatem naturae intelligendi admitti debere, quae appellatur ordo naturalis praesuppositionis, seu exigentiae; per quam res praebet intellectui fundamentum concipiendi illam cum tali ordine prioritatis, & posterioritatis, quae de causa talis prioritas, & posterioritas censenda est suo modo realis, & ex natura rei, non verò per intellectum tantum, etiam si vocetur prioritas naturae intelligendi & talis prioritas reperitur inter essentiam, & ejusque perfectiones, ita ut essentia sit prior naturae modis intrinsecis, modi sint priorae naturae attributis, & haec omnia sunt priora nonionalibus. Ita Doctor, quol. 1. & alibi frequenter, & probatur, quia ubi est ordo cum distinctione rerum, aut formalitatem inter quas est ordo, ibi est prius, & posterius ex natura rei, quia ordo fundatur in distinctione, sed in divinis inventiuntur perfectiones invicem ordinatae, & ex natura rei distinctae, aut formaliter, ut dictum est contrario, praecedenti de perfectionibus attributivis; ubi saltem virtualiter, ut dicitur de praedicatis Dei quidditativis; ergo inter ea erit consimilis ordo ex natura rei, nempe prioritas, & posterioritas actualis inter attributa, & essentiam, ac etiam inter praedicata quidditativa, ut inter substantiam, & spiritum, ut arguit Doctor ex Damasceno 1. d. 8. quest. 4. in corpore quaesiti. Conf. ex eodem quol. 1. art. 2. qualis ordo per se realis esset inter aliqua, si essent realiter distincta; talis etiam est inter illa, ubi minori distinctione distinguuntur, & correspondens tali distinctioni, quam habent, utpote rationis, quae distinguuntur ratione, & hoc sive ratione sumpta, ex parte rei, sive merè causata per actum

intellectus; Sed actus intellectus, v. g. in nobis, ubi distinguuntur realiter ab actu voluntatis, realiter praesupponitur illi; ergo in Deo, ubi distinguuntur, vel ex natura rei formaliter in sententia nostra, vel saltem virtualiter in Thomistarum opinione, praesupponitur illi ex natura rei actualiter, vel saltem virtualiter; nam qualis est distinctio, talis est ordo in ea fundatus, Praeterea quando aliqua plura existunt in eodem instanti durationis, ita tamen ut unum existat ex vi alterius, non est contra, tunc inter ea assignari potest ordo naturae, ita scilicet, ut prius natura dicatur, quod existit independentè ab alio, posterius verò, quod aliquo modo existit ex vi illius, sed ita se habent essentia, & perfectiones attributivas in divinis, ab essentia enim pullulant, & dimanant sine ulla pro-cessu causalitatis umbra, ac dependentia per simplicem emanationem; ut explicat Doctor ex Damasceno 1. d. 8. quest. 4. ab ea fluentes, ut à pelago omnium perfectionum; imò etiam unum attributum interdum dicitur ratio respectu alterius; nam immutabilitas secundum commune est ratio divina aeternitatis, Deus enim est aeternus, quia immutabilis, unde immutabilitas est causa veluti virtualis aeternitatis; ergo haec ratio essentia dici potest, ac debet prior naturae omnibus attributis, & unum attributum prius alio, quatenus potest intelligi existens non intellecto posteriori, veluti existente, quia in existendo non est ab eo dependens, sed potius est contra.

Sed urges, quod ita explicando ordinem naturae inter 130 essentiam, & attributa, videtur haec prioritas, & posterioritas coincidere cum ordine originis, qui etiam ita explicatur, ut posterius dicitur existere ex vi prioris, & non est contra. Negatur consequentia; quia potest intelligi vnum habere esse vi alterius sine dependentia ab eo per causalitatem, sed per solam naturalem praerogentiam, ut constat de pluribus effectibus ordinatè ab eadem causa procedentibus, tunc quia ordo originis non intercedit, nisi inter realiter distincta, quorum unum, verè, & proprie producit ab alio, quo pacto attributa non oriuntur ab essentia, sed tantum per simplicem dimanationem abque vera, & propria productione qualis est inter divinas personas, & deinde qualicumque sit origo attributorum ab essentia; adhuc tamen ordo inter ea intercedens est naturae, & non originis, nisi secundum quid, ut interdum vocatur à Doctore, quia ut dictum est num. 120. prioritas originis est positiva habitudo producentis ad productum, unde Pater dicitur origine prior filio, eo quia filium producit, non autem quia sit à se, aut independentè existat à filio; ad divina essentia dicitur esse prior naturae attributis, non ex eo precise, quia ab ipsa fluunt attributa, ut à radice omnium perfectionum, quia utique per hoc potius explicaretur quaedam prioritas originis secundum quid, sed dicitur natura prior illis proprie loquendo, quia existit independentè ab illis, & existit à se, & per se; ex quo oritur, ut possit concipi in se existens non conceptis perfectionibus attributivis, ut in ea existentibus, quae conceptio formari non potest de priori originis respectu posterioris. Itaque ut exactè explicetur prioritas naturae intelligendi, prout fecerunt à prioritate originis, dicendum est hoc modo, unum dici prius natura alio, quod ita naturae est intelligi secundum se, & secundum suam rationem formalem, ut talis cognitio, quatenus terminatur ad ipsum, non necessarii debet terminari ad posterius, sed quantum est ex natura sua perfectè haberi potest sine aliqua dependentia, aut necessitate cognitionis illius posterioris. E contra verò illud dicitur posterior alio natura sine aliqua dependentia, aut necessitate cognitionis illius prioris, quatenus non potest intelligi sine dependentia à cognitione illius prioris; neque potest intelligi in aliquo signo priori, quia sicut intelligeretur sine dependentia, & praerexistencia intellectus illius prioris, quod implicat; & in hoc proprie, & precise consistit prioritas naturae intelligendi.

Denique ex variis modis, & gradibus, quibus perfectiones conveniunt rebus, sumuntur varia signa naturae, nam quaedam conveniunt rebus in primo modo dicendi per se, ut praedicata quidditativa; atque adeò in primo signo naturae respectu eorum, quae conveniunt per se in secundo modo, veluti sunt passionibus, quae proinde rei convenire dicuntur in secundo signo naturae; imò inter praedicata ipsa, quae conveniunt in primo modo, sicut assignantur variis gradus, ut dictum est 2. Inst. Log. tract. 1. c. 3. ita quoque assignari possunt varia signa naturae; quia homo prius naturae est animal, quam rationalis, cum communiora naturae praecedant minus communia; unde haec signa naturae non important aliquid re ipsa distinctum ab ipsis praedicatis, sicut nec primus, aut secundus modus dicendi per se, sed tantum ratione, quatenus praedicatum rem significat.



ficat absolute; at signum, vel primus, aut secundus modus significat rem aptam concipi ordinate, & quidem ex natura rei, & non tantum ex libito intellectus fingentis; Cum igitur divina quoque essentia ita sit ex natura rei constituta, ut quaedam perfectiones pertineant ad eam esse primarium, & in primo perfectionis modo, qualia sunt predicata quidditativa; quaedam vero consequantur eam in esse veluti secundario, & in secundo modo dicendi per se, quales sunt perfectiones attributales; sic patet cum veritate dicere possumus, & absque ulla fictione predicata primi generis prius natura ei convenire, quam predicata secundi generis; illaque ei competere in primo signo naturae, caetera vero in secundo.

132 Ex quo tandem deducitur in divinis essentialia debere natura praecedere notionalia, ut ostendit Doctor quol. 1. & absoluta praecipiendi esse respectivis, & attributa relationibus originis, & inter absoluta communiora minus communibus, ut ratio substantiae praecipiendi est immaterialitati, & immaterialitas intellectivitati, & haec appetitivati; item intellectio volitioni, & actus utriusque potentiae ad intra praecedere debent eisdem, ut terminatos ad extra; & eodem modo discurrendum est de caeteris perfectionibus tam absolutis, quam respectivis, vel seorsum consideratis, vel invicem comparatis, vel ad intra, vel ad extra. Ex quibus omnibus bene perspicitur, & consideratis facile diluuntur objectiones Advertisementum contra huiusmodi signa naturae a Scoto frequenter assignata in divinis, quae videri possunt apud Fabrum disp. 25, cit. cap. 2. plura etiam de hac materia videri possunt apud Greg. Scherium disp. 6. De Deo Trino, & Uno, quae. 12. more tamen scriptura veterum Scottianum, ubi etiam quamplures in Scoto apparentes contradictiones de huiusmodi signis naturae, & originis concordate fatagat.

QUESTIO QUARTA.

De Immutabilitate Dei.

An Deus sit immutabilis tam physice, quam moraliter, & quomodo cum tali immutabilitate cohaereat divina libertas ad extra.

ARTICULUS PRIMUS.

Status Controversia declaratur.

133 Ad intelligentiam tituli questionis supponendum est ex dictis in Physica mutationem esse transitum, a privatione ad formam intrinsecam, vel a forma ad privationem; & dividi in substantialem, & accidentalem; substantialis est, cuius terminus est substantia, vel partialis, ut in generatione, & corruptione, vel totalis, ut in creatione, annihilatione, & transubstantiatione; accidentalis vero est, cuius terminus est accidens, quae rursus duplex est, alia physica, quae passim exercetur per variationem accidentium naturalium in rebus physicis; alia moralis, quae sola exercetur in voluntate, seu potentia libera per actus liberos, & in nobis annexam semper habet physicam mutationem, quae de uno actu mutatur in aliam. Hic ergo queritur an Deus sita immutabilis, ut utrumque mutationem, & cuiuscumque generis a se penitus excludat; & quidem Deum esse immutabilem quacumque physica mutatione, nedum Fides docet in Concilio Laterano, ut refertur cap. Firmiter de summa Trinit. & Fide Catholica & passim Scripturae, sed etiam Arist. cum caeteris Philosophis naturalium lumine ductus 8. Phys. & 1. de Caelo summa 9. dicens divinam vim intransmutabile esse necesse est, omne primum, ac maximè summum, quod ex variis eius attributis solet probare Theologi; nimirum ex necessitate essendi; quia implicat intelligere id, quod est summe necessarium, transire de non esse ad esse, aut e contra, quia summa necessitas non permittit, ut non sit, vel non esse possit, quod necessitas est esse; Tum ex ratione puri actus qui ex sua formali, & praecisa ratione omnem potentialitatem negat ad aliquid recipiendum, atque ita est immediata immutabilitatis causa. Tum ex infinitate, quia infinitum simpliciter est, cui nihil entitatis, & perfectionis deest eo modo, quo possibile est

omnem perfectionem in ipso contineri, atque ideo incapax est omnino incrementi, vel decrementi perfectionis. Tum etiam ex summa simplicitate, quae excludit omnem compositionem, vel componibilitatem, mutabilitas vero importat potentiam ad aliquam compositionem cum ea nempe forma, ad quam fieret mutatio; de quo sus tractat Doctor ex Instituto 1. d. 8. q. 5. ¶

Sed quamvis hoc adeo clarum sit, & apud omnes indubitatum, Poncius nihilominus in suo Cursu Teol. disp. 3. q. 3. num. 24. existimat difficultate convinci posse aut ratione, aut auctoritate, quod Deus non possit recipere in se de novo respectum similitudinis, aut dissimilitudinis ad creaturas de novo productas, supposito tamen quod ipse creature dicantur adinvicem similes, aut dissimiles per respectum superadditum distinctum ab extremis; similiter existimat ex suppositione, quod extrema creata, quae uniantur, uniantur duplici unione subiecta in iisdem extremis, non facile impugnat posse, qui diceret, quod Verbum divinum uniret naturae humanae per unionem in se receptam, utrumque probat; Quia quod ad auctoritatem spectat, nulla potest adduci ad propositum magis virgens, quam quae asserunt Deum esse immutabilem; Sed ad hanc responderi potest, quod sine dubio loquantur de immutabilitate excludente mutabilitatem, quae argueret imperfectionem in Deo, nam certe alia non debet asseri convenire ipsi, & certum est, quod non sit immutabilis ad multas denominationes, quas de novo potest habere, quia, mutabilis ad tales non arguit imperfectionem in ipso, sed potius perfectionem; sed postea dicit, quod mutabilis ad relationes, & unionem praemissam non argueret in ipso imperfectionem; ergo ex auctoritate non potest sufficienter probari, quod non sit sit mutabilis; probatur minor ultima, quia relatio similitudinis, aut dissimilitudinis, aut unionis non tolleret ad Deo perfectionem ullam ipsi competentem, nec formaliter, nec dispositivè; nec ex eo quod poneretur in Deo, posset colligi ullo dicitur, quod ullum ex praedictis necessarius ipsius esset imperfectum, nec denique ostendi potest ex quo capite esset imperfecta mutabilis ad illas. Hic deinde probat, quod nec quoad rationem etiam talis mutabilis dedecet Deum, nam quod dicitur esse infinitate Dei colligi posse, quod ipsum sibi omnem denominationem intrinsecam praestare possit, quae am ulla forma intrinseca dare possit, non est adeo certum de denominationibus non necessariis; cum enim illis carere possit, non videtur quod illas habere possit a sua essentia, quantumvis infinita, aut ullo praedicto necessario suo; alias idem posset dici de rebus creatis, quod a sua natura, aut praedictis necessariis haberent denominationes intrinsecas similes, & uniti, quod supponitur hic esse falsum; nam ad tales denominationes praestandas non requiritur infinitas, cum ipse sit finita, non posset convinci, quod non possit a natura finita de novo oriri, nisi quia res illa potest esse sine illis, quod argumentum aequè concludit de re infinita, ac de finita. Hinc tandem postea inferitur disp. 6. quae. 2. num. 7. ait, quod sententia Cajetani, de qua infra, asserentis volitionem Dei habere esse liberam ab aliqua forma reali intrinseca superaddita Deo est insufficientis, impugnatur argumento desumpto ab immutabilitate Dei, quod ait fuisius demonstrasse in suo Commentario 1. d. 39. num. 13. quod adhuc typis non est traditus.

Hec tamen doctrina, si tali nomine coheserit meretur, valde scabrosa est, & affinis omnino errori eorum, qui ponebant in Deo quasdam intentiones accidentales superadditas divinae essentiae, ac proinde facientes cum illa in Deo compositionem accidentalem, sicut fit in rebus creatis ex accidente, & subiecto, quem refert, & consultat D. Thomas 1. contra gentes cap. 13. siquidem ab eo in hoc solùm differet, quod illi assererebatur de facto dari talia accidentia recepta in Deo; Poncius autem id non asserere audeat, sed ait nec auctoritate, qui debeat deseri, nec ratione convinci posse, quod Deus non possit in se de novo recipere accidentia relativa, tenendo, quod relationes dicantur accedens superadditum ab extremis distinctum. Et quidem quoad auctoritatem hoc satis sufficienter probari videtur ex Concilio Later. cit. cap. Firmiter de summa Trin. ubi definitum est, Deum esse omnino, ac perfectè simplicem, quae summa simplicitas excludit omnem huiusmodi distinctionem, & compositionem accidentalem; si enim ulla in Deo darentur, vel dari possent accidentia creata sive absoluta, sine relativa, planè facerent cum eo talem compositionem accidentalem, qualis in rebus creatis ex subiecto, &

& accidente resultat etiam respectivo, hoc enim quoque veram faceret compositionem cum subiecto, cui advenit, si teneatur esse quid extremis superadditum, ostendit Doctor 2. d. 1. q. 5. §. ad 1. alterius opinionis; Et quod attinet ad rationem, ex hoc eodem medio divinae simplicitatis probat Doctor 1. d. 3. q. 5. §. huius exclusivae. Deum esse immutabilem ad quaecumque formam realiter distinctam, quia si Deus, inquit, est perfectè simplex, ut probatum est ex infinitate; ergo non potest mutari ad aliquam formam, quae in ipso recipiatur; Et rursus ex eodem medio 1. d. 36. q. 2. §. ad 2. quae. adhuc specialiter probat. Deum recipere non posse relationem realem ad creaturas ex Aug. 11. de Civit. Dei cap. 10. quia enim Deus (inquit) perfectè simplex est, nihil est in eo, quod non est ipsum, etenim ex Aug. ibidem. Deus simplex est; quia hoc est, quod habet, ex quo Augustini loco sumitur commune illud essatum ab omnibus plausibiliter approbatum, quod quicquid est in Deo, est ipse Deus; ex quo palam deducitur non posse quicquam esse in Deo, quod sit accidens Dei, sed omnia quaecumque sunt in Deo, omnia sunt substantia ipsa Dei; quae auctoritates, & rationes ad huc ad im probandum iam adduxi cum Scoto disp. 8. Log. quae. 5. §. art. 1. Hoc etiam efficacissime deducitur ex ipsa ratione actus puri, nam actus purus ex sua ratione formali, & praecisa negat omnem potentialitatem ad quaecumque formam realiter distinctam; ergo nequit Deus recipere de novo accidentia relativa sine imperfectione; antequam constet ex ipsa ratione actus puri, qui de se excludit omnem potentialitatem; consequentia probatur, nam proxima, & praecisa causa, cui repugnet, subiectum mutari, est ipsa repugnantia, sed incapacitas subiecti ad mutationem, quam incapacitatem formaliter importat exclusio ipsi totius potentialitatis.

135 Respondet Poncius loc. citat. negando consequentiam, sicut enim non est imperfectio in ipso recipere denominationes a rebus limitatis, ita non videtur esse imperfectio in illo recipere formas, a quibus eas intrinsece habere possit; neque enim minus videtur decere Deum recipere relationem unionis, quae uniat naturae humanae, quam uniti ipsi absque relatione sibi intrinseca per terminationem unionis recepta in natura. Haec tamen est ineptissima responsio, & indigna Theologo, omnes enim admittunt praedicta quaedam accidentalia, & contingentia dicit de Deo ex tempore; quia non sunt intrinseca ipsi Deo, atque ideo nullam in eo arguunt potentialitatem, aut compositionem, sed sunt relationes rationis, vel denominationes extrinsecae actionibus, quas exercet ad extra, & caperent de novo dici de Deo in tempore, & possunt patenter desineri dici de Deo; falsum est ergo, non minus decere Deum recipere relationem unionis in se, quam terminat unionem in ipsa natura receptam, nam prima receptio argueret in ipso potentialitatem aliquam passivam ad formam realiter distinctam, quae dicit imperfectionem, quod non dicit simplex illa terminatio, quae exerceri potest sine ulla proposita potentialitate, ac imperfectione; Respondet rursus, quod cum dicimus, Deum esse immutabilem hoc intelligi debere de immutabilitate, quae dicitur per perfectionem, & quae excludat mutabilitatem arguente imperfectionem; unde si esset aliqua mutabilitas, quae non involveret imperfectionem, illam non excluderet immutabilitas, quae convenit Deo, talis autem est mutabilitas, in quod denominationes reales extrinsecas, nam has in tempore amittit, & deperdit, & sic etiam dici posse videtur de denominationibus intrinsecis, tam enim sunt denominationes limitatae illae, quam istae. Haec chimera distinctio de duplici mutabilitate involuente, & non involuente imperfectionem coincidit cum aliis eiusdem Auctoris inferius quae. 8. reiciendis de compositione, & potentialitate involuente, & non involuente imperfectionem; sicut enim ibi dicimus has distinctiones in terminis implicare, quia, nisi vicemus terminis abuti, compositio, & potentialitas ut sic, ex suo formali conceptu imperfectionem involuente, ac extremorum limitationem, sic in proposito dicimus, hanc quoque de duplici mutabilitate imperfectionem involuente, vel non involuente in terminis implicare, quia ut constat ex 6. Phys. 32. mutari est, rem aliter se habere nunc, quam prius, unde mutatio dicitur esse transitus a privatione ad formam mobili intrinsecam, vel a forma ad privationem, aequè ideo in suo formali conceptu imperfectionem involuit; ex quo deducitur, valde improprie dici Deum esse mutabilem quoad denominationes reales extrinsecas, quia si forma intrinsece non recipitur in subiecto, nequit dici per eam

mutari, & aliter se habere nunc, quam prius, quia nunquam verum est dicere, quod aliquid in se vere, & physice habeat, quod prius non habebat, aut e contra. Et quoniam Poncius consequenter ad distinctionem datam de duplici mutabilitate involuente, & non involuente imperfectionem, fortè dixeret etiam, quod si Deus reciperet relationem unionis realem, aut aliam, talis forma non faceret cum eo compositionem involuente imperfectionem; Praeterea quod hoc esset merè voluntariae dictum, quia hoc idem patirè dici posset de quacumque alia forma; impugnat etiam ex sua propria doctrina, nam dist. 3. cit. quae. 2. de simplicitate Dei nu. 16. explicans, quae sit compositio dicens ex natura sua imperfectionem, ait, illam esse, quae versatur inter sola plura, quorum quodlibet, aut alterum dicit finitatem, ac limitationem, & unum realiter distinguitur ab alio, ac tandem eorum unio ab influxu cause extrinsecae dependet; Sed haec omnia intervenirent, si Deus reciperet relationem a se realiter distinctam, ut patet, quia haec esset entitatis finitas, & limitata, realiter a Deo distingueretur, & eius unio cum Deo dependeret ab ipso Deo, ut causa efficiente extrinseca; ergo ex eiusdem doctrina talis relatio faceret cum Deo compositionem involuente imperfectionem; atque ideo erroneum omnino est dicere, nullam assignari posse rationem, quod Deus nequeat recipere relationes reales ex tempore, supposito quod dicantur accedens realiter extremis superadditum; nam in sensu, quo id descendit ad Nominabiles tantam non meretur consistam, ut dictum est disp. cit. Logica.

Ex his ad primam Poncii rationem, praeterea quod ostensa est inanis illius distinctio de mutabilitate involuente, & non involuente imperfectionem, negatur ultima minor cum eius probatione, nam ut ostensum est, laederetur summa Dei simplicitas, quia talis relatio faceret compositionem veram, & propriam cum Deo involuente imperfectionem, & tolleret ab eo rationem actus puri, quia Deus esset subiectum potentiale ad eam formam suscipiendam. Ad aliam, quaequid sit de illa ratione ex infinitate Dei deductam, quod non sit receptivus formam realiter distinctam, quia omnis intrinseca denominatio ab eis proveniens ex ipsa infinitate desumi potest, dico, alias rationes non deficiere validas ad id convincendum, nempe ex ratione puri actus, ex summa Dei simplicitate, ac eius perfecta necessitate, his enim vis utitur Scotus ad probandum, Deum esse immutabilem ob quaecumque formam 1. d. 8. q. 5. & speciarim non esse suscipiendam relationis ad creaturam realiter distinctam 1. d. 30. q. 2. At instat Poncius, immutabilitatem Dei ad recipiendas de novo formas probari non posse per locum intrinsecum ullo modo per necessitatem, existentem, ac per consequens aliquid; quod perfectè esse idem Deo (nam quicquid est in Deo est ipse Deus) non esset, vel posset non esse aliquo alio, quod non est necessarium esse non existente, relatio autem realis de necessitate coexistit ad suum esse reale terminum illius relationis; ergo in Deo non potest esse relatio realis ad aliud a se; haec etiam eandem immutabilitatem ostendit Doctor ibidem ex simplicitate etiam capta prout excludit componibilitatem cum aliquo realiter distincto sibi intrinseco, quia enim Deus perfectè simplex est, nihil est in eo, quod non sit ipsum ex Aug. loc. cit. Et negatur, immutabilitatem ad formam realiter distinctam esse ita expressa, & per se primò de conceptu simplicitatis eo modo sumpta, ut non possit per ipsam de Deo ostendi a priori; etenim negationes necessario consequentes aliquam affirmationem, per eam a priori ostenduntur de illo, cui convenit talis affirmatio; & sic in proposito negatio muta-